

256. *Inst. 4. Juxta c. Veniens 5.* Qui clerici vel vovent, punita est mulier, quod per nuptias violare voluerit votum simplex castitatis post sponsalia emissum, et data ei fuit dispensatio, ut posset nubere; ergo votum valuit.

R. D. Ant. Punita est, quod per nuptias violare voluerit votum nubendo priori sponso, et data ei fuit dispensatio, ut posset huic sponso primo nubere *N.* punita est, quia *fidem mentita est*, et per votum repudiaverat sponsum primum, et postea volebat nubere alteri, ad quod egebat dispensatione *C.* Punita igitur fuit, quod contra fidem priori sponso datam illum repudiaverit, sub prætextu voti castitatis; et dispensatione eguit, quia post votum volebat nubere alteri, quod non poterat licite; quia votum castitatis simplex post sponsalia emissum licet non valeat in præjudicium sponsi, quasi vovens per hoc liberaretur a data fide; valet tamen in præjudicium voventis, ut cum altero licite matrimonium contrahere non possit; nec exigere conjugale debitum. arg. *c. Placet 12. de Convers. conjug.*

257. *Obj. II.* Si concurrant duo vincula, obligat hoc, quod fortius est *c. Si inter 31. de Sponsal.* Sic matrimonium solvit sponsalia prius cum alia vel alio inita: atqui votum et sponsalia sunt duo vincula, et fortius est votum *v. g.* castitatis; quia fit Deo, et per illud obligatur Deo corpus et anima; ergo.

R. D. Maj. Si vinculum illud in se fortius hic et nunc sit validum, et vere existat *C. secus N.* Votum in nostro casu, quatenus alteri præjudicat, nullum est. Quoad matrimonium est disparitas, quia hoc validum est *c. Si inter cit.*

258. *Obj. III.* Votum simplex castitatis irritat sponsalia subsequencia, etiam jurata; ergo et vicissim antecedentia. *Conf.* Votum simplex non minus obligat coram Deo, quam solemne; ergo etiam æque solvit sponsalia antecedentia.

R. N. Cons. Quia sponsalia post votum inita essent promissio rei alienæ alteri, scilicet Deo debitæ, ergo non valent; consequenter nec juramentum, quod nequit esse vinculum iniquitatis.

Ad Conf. R. D. Ant. Non minus obligat, quoad effectus aliquos, et in præjudicium voventis, ut cum alia contrahere non possit licite, nec petere conjugale debitum in matrimonio, obligeturque ad continentiam altera parte defuncta *C.* quoad effectus omnes, et in præjudicium tertii *N. Ant. et Cons.*

259. *Obj. IV.* Sponsalia non claudicant, sed essentialiter sunt mutua; ergo si ex parte unius cessent, etiam cessabunt ex parte voventis.

R. D. Ant. Non claudicant, ut maneant perfecta sponsalia *C.* ut per modum promissionis simplicis solum partem ream obligent *N.* Vel: non claudicant in fieri, sive dum fiunt sponsalia *C.* in facto esse, sive conservari *N.* Idem respondere debent omnes in superveniente quacumque mutatione notabili ex parte unius, ut fornicatione, etc. quo casu potest resilire innocens; huic tamen pars altera obligata manet, si innocens nihilominus velit matrimonium.

260. *Quæres I.* An causæ enumeratæ resiliendi facultatem præbeant, si jam ante sponsalia extiterint, et postea primum sint detectæ?

R. Affirmative. Quia in jure paria sunt non esse et non apparere *L. 77. ff. de contrah. empt. et supervenire talem causam, vel ignorantes præcedere, cum tunc primum res de jure censeatur fieri, cum innotescit. arg. c. Pastoralis de Except.*

261. *Quæres II.* An possint sponsi propria auctoritate resilire, si causa aliqua ex prædictis subsit?

R. Affirm. per se loquendo, modo causa certa sit; neque enim ullo jure cauta reperitur necessitas tunc adhibendi auctoritatem judicis, et per se sponsalibus inest conditio, nisi justa resiliendi causa intervenerit. Si vero causa sit dubia, judicis ecclesiastici auctoritas debet accedere; quia vi contractus sponsalitiis quilibet ex sponsis est in possessione juris acquisiti; in dubio vero nemini licet auctoritate propria deturbare alterum de possessione juris sui. Dixi: *per se loquendo*, scilicet secluso statuto diocæsano speciali.

CAPUT II.

DE NATURA MATRIMONII.

262. Matrimonium sub duplici ratione sumi potest; *active*, sive ut alii loquuntur, in fieri, vel causaliter, nimirum pro ipso contractu matrimoniali; et *passive*, sive in facto esse, scilicet pro statu conjugum habitualiter permanente, et per contractum inducto: tametsi vero hoc posteriori modo sumptum magis communiter et proprie dici videatur matrimonium, eo quod in Florentino consensus vel contractus dicatur *causa efficiens* matrimonii; de hoc tamen in priori acceptione potissimum hic agitur. Et quia matrimonium *active* sumptum iterum considerari potest dupliciter, ut est *in officium naturæ*, sive contractus naturalis, et ut est *sacramentum*, de matrimonio sub utraque hac acceptione disseremus.

ARTICULUS I.

QUÆ SIT ESSENTIA MATRIMONII?

263. *Nota I.* Matrimonium ut est officium naturæ, et *active* sumptum definitur: Contractus legitimus, quo mas et femina, jure habiles, sibi mutuo jus tradunt in corpora in ordine ad actus ex se aptos ad generationem proles, et se obligant ad individuum vitæ societatem. Quibus si addas: et ex institutione Christi gratiam, quam significat, conjugibus conferens, crit simul definitio matrimonii ut sacramenti.

Dicitur 1°. *Contractus legitimus*, hoc est, validus juxta leges, tam humanam, quam naturalem et divinam. 2°. *Quo mas et femina*, scilicet: unus et

una, ad excludendam polygamiam, *jure habiles*, sive nullo impedimento irretiti. 3°. *Sibi mutuo jus tradunt in corpora*, etc. nimirum saltem radicale, non enim requiri necessario realem traditionem corporum per actualem concubitum dicitur infra; unde matrimonium potius ad contractus consensuales, quam reales reducitur. 4°. *Et se obligant ad individuam*, etc. quibus matrimonii in nova Lege insolubilitas indicatur. Reliqua naturam sacramenti expriment.

Matrimonium vero *passive* sumptum, sive in facto esse, et pro conjugali statu communiter definitur: Viri et mulieris maritalis conjunctio individuum vitæ societatem retinens. Dicitur *conjunctio*, scilicet in facto esse, et habitualiter permanens; *maritalis* autem, quo potestas utriusque in corpus alterius innuitur juxta illud 1. Cor. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Matrimonium utroque modo active et passive sumptum etiam sic brevius definiri potest: *Maritalis conjunctio*, vocem *conjunctio* modo sumendo, ut est in fieri, modo ut in facto esse.

264. *Nota II.* Ex definitione matrimonii constat in eo varia reperiri: 1°. Mutuum consensum internum, et externam pactionem, vel signa, quibus consensus exterior exprimitur, h. e. contractum. 2°. Corporum traditionem mutuam. 3°. Vinculum conjugale ex contractu illo proveniens. 4°. Jus cujusque in alterum, sive mutuum quoddam corporum dominium, cui mutua correspondet subjectio. 5°. Usus ipsum matrimonii, sive copulam. Quæritur igitur, in quonam ex hisce recensitis sita sit essentia matrimonii?

Essentiam matrimonii in usu ejusdem, vel consummatione sitam esse Julianus Pelagianus docuit, ratus sine hac non posse matrimonium consistere, ut testatur AUGUSTINUS Lib. 5. cont. Julian. c. 46. n. 62. dicens: *Nihil aliud dicit esse nuptias, quam corporum commixtionem*. Infami vero calumnia Calvinus Catholicis affingit Lib. 4. Instit. c. 19. §. 34. eos docere, coitum esse partem sacramenti, citans ad marginem librum 4. Magistri sentent. cum hic tamen Lib. eod. D. 27. asserat explicitis verbis, errorem esse affirmare, sine copula non posse contrahi matrimonium, et deinde exponit, quo sensu aliqui veteres scripserint non esse perfectum conjugium sine commixtione sexuum, scilicet perfectione solum accidentali, quia non representat perfecte conjunctionem Verbi cum humanitate, et Christi cum Ecclesia.

265. *Dico I.* Usus matrimonii licet licitus sit, et honestus per se, non tamen est de essentia matrimonii quomodocumque sumpti.

Pars 1ª. est de fide contra plures hæreticos antiquos, Encraticas, Manichæos, Marcionem, Saturnin., etc. *Prob. ex Script. S.* juxta quam Deus auctor matrimonii voluit per hoc humanum genus propagari Gen. 1. *Crescite et multiplicamini*; quæ a Deo ad Adamum et Evam, et Gen. 9. ad Noe et filios ejus dicta sunt: atqui Deus ad rem intrinsece malam positive hortari, vel præcipere eam non potest. Deinde in Lege nova licet commendetur continentia, ut Matth. 19., 1. Cor. 7., Apoc. 14. nusquam tamen matrimonium, vel ejus usus reprobatur; quin 1. Cor. 7. præcipit Apostolus: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro*, et 1. Tim. 5. *Volo junio-*

res nubere et filios procreare. Unde in Conc. Bracaren. II. can. 11. (Lab. t. 5. p. 838. C.) dicitur: *si quis conjugia humana damnat, et procreationem nascentium perhorrescit, sicut Manichæus et Priscillianus, anathema sit*. Similia habent Patres passim, IREN. L. 1. c. 22. et 30., EPIPHAN. hæ. 46. de Adamianis, AUGUST. L. 9. de Gen. ad litt. et sæpe alibi.

Pars 2ª. prob. Inter beatissimam Virginem Mariam et S. Josephum verum fuit matrimonium juxta illud Matth. 1. *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*; nec tamen inter eos ulla intercessit commixtio; nec perierat, ait S. AUGUST. L. 1. de Nupt. et concup. c. 11. *nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis commixtio*. Et de S. Josepho L. 23. contra Faustum c. 8. *Neque enim, quia concubitu non commixtus, ideo non maritus*. Similiter S. AMBROS. L. de Instit. Virg. c. 6. (opp. t. 2. part. 1ª. p. 259. D.) refellens eos, qui putabant, nullum beatissimæ Virginis et S. Josephi fuisse matrimonium, *non defloratio, inquit, virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis*. Verum etiam fuit matrimonium inter primos parentes, dum in paradiso morabantur, nec tamen nisi paradiso ejectus Adam cognovit Evam Gen. 2. Quis etiam inter senes copulæ incapaces negabit verum esse matrimonium? Ratio a priori est; quia usus ipse et operatio rei non est de illius essentia; hæc enim ad usum, vel operationem supponitur, et usus est quid consequens ad essentiam; ergo modo detur jus mutuum, vel potestas mutua saltem radicalis in corpora; erit verum matrimonium.

Dixi: *modo detur jus mutuum, vel potestas saltem radicalis, in corpora*, quia si ita contraherent, ut nullus haberet dominium, vel jus in corpus alterius, nullum esset matrimonium; hoc enim est ex natura sua conjunctio *maritalis*, quæ per dictum jus in corpora præcise differt ab aliis conjunctionis speciebus. Et vero si ad matrimonium sufficeret sola in individuum vitæ societatem animorum conjunctio, etiam inter matrem et filium, fratrem et sororem matrimonium esse posset.

266. *Dico II.* Essentia matrimonii *active* sumpti, in fieri, et pro contractu, consistit in mutuo consensu, exterius expresso.

Ratio est, quia omnis contractus essentialiter est duorum, vel plurium in idem consensus externe expressus. Nec in hoc difficultas est, aut controversia.

267. *Dico III.* Essentia matrimonii *passive* sumpti vel in facto esse, consistit in nexu illo vel vinculo indissolubili resultante ex ipso contractu, vel consensu mutuo maris et femine.

Prob. Nam 1°. non consistit in consensu mutuo contrahentium sive interno, sive externo, nec mutua traditione corporum, tum quia consensus pertinet ad causam efficientem matrimonii, tum quia tam consensus quam ea traditio sunt actio transiens, permanente matrimonio: item consensus internus revocari potest, matrimonio nihilominus perseverante. 2°. Nec in usu ipso matrimonii, vel copula, ut dictum conel. 1. 3°. Nec in jure mutuo ad copulam; hoc enim potius objectum, finis, vel effectus est matrimonii, quam ipsum matrimonium; ideo enim conjuges habent jus ad copulam, quia sunt legitime juncti matrimonio. Ergo debet consistere in illo vinculo, quia nihil aliud adest, vel assignari potest.

268. *Obj. I. cont. part. 1^{am}. concl. 1.* Usus matrimonii reprobatur in Scriptura S.; ergo. *Prob. Ant. 1^o.* Nam 1. Cor. 7. ait Apostolus: *Bonum est homini mulierem non tangere*: unde Hier. L. 1. cont. Jovin. n. 4. infert: ergo malum est tangere. 2^o. Ibid. vult Apostolus eos, qui nubunt, esse tanquam non nubentes; ergo vult eos non uti matrimonio. 3^o. Rom. 8. dicit, *qui in carne sunt, Deo placere non possunt*. Unde Siricius papa epist. 1. c. 5. ait matrimonium esse pollutiones. 4^o. Apost. 1. Cor. 7. cit. licet dixisset: *Unusquisque propter fornicationem uxorem suam habeat*; ait tamen: *hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*. Ergo suadet solum matrimonium tanquam minus malum, ut majus evitetur; hoc enim indicat *indulgentia* juxta Aug. L. de pecc. orig. c. 38. *evidenter dum tribuit veniam, denotat culpam*.

R. N. *Ant. Ad prob. 1^{am}.* R. D. *Cons.* S. Hier. Est malum pœnæ C. culpæ N. Dicitur a S. Doctore malum pœnæ, quia fit carnali concupiscentia, quæ peccati originalis pœna est, ideoque virginitatem præfert; sic enim cit. loc. n. 3. se ipsum explicat, dum Marcionis, Manichei, Tatiani errore rejecto ait: *Non ignoramus honorabiles nuptias, torum immaculatum; sed ita nuptias recipientes, ut virginitatem, quæ de nuptiis nascitur, præferamus*. Ergo non intelligit malum culpæ.

Ad 2^{am}. R. N. *Cons.* Non enim verbis illis matrimonii usum prohibet; sicut nec prohibet possessionem rerum temporalium per hæc eod. loc. *qui utuntur hoc mundo, sint quasi non utentes*, ut colligitur ex particula *tanquam*; sed solum usum inordinatum; sicut in ultimo solum affectum inordinatum.

Ad 3^{am}. R. *in carne* hic sumi pro *juxta carnem*. Siricius vero loquitur de matrimoniis illicitis tum ratione personarum talibus, ut sacerdotum, monachorum, et eorum, qui post pœnitentiam publicam contrahebant matrimonia, quod tunc juxta canones iis erat prohibitum, ut colligitur ex can. 21. Concil. Arelatensis II. (Labb. t. 4. p. 1013. D.) tum aliunde illicitis.

Ad 4^{am}. R. N. *Cons.* Si enim matrimonium in se malum esset, nequidem vitandæ fornicationis causa illud suasisset, aut suadere potuisset; si enim juxta eundem Apostolum non sint facienda mala, ut eveniant bona, quanto minus dicere potuit, esse facienda mala, ut vitentur majora mala. Unde *indulgentiam* hic opponit præcepto, innuere volens, nuptias non esse præceptas; et in iis reperiri minus bonum, quam in virginitate, cum qua ibi easdem comparat. Et hoc sensu explicari potest S. Aug. ita ut culpa sumatur *negative*, quatenus nuptiæ impediunt a majori bono, scilicet virginitate; ita enim se explicat L. de bono conj. c. 8. *non duo mala sunt, inquit, connubium et fornicatio, quorum alterum pejus; sed duo bona sunt connubium et continentia, quorum alterum est melius*.

269. *Obj. II. cont. ejusd. p. 2^{am}. et conclus. 2^{am}. et 3^{am}.* Ad Ephes. 5. ait Apostolus: *Erunt duo in carne una*; ergo usus est de essentia matrimonii.

R. 1^o. N. *Cons.* Verba enim Apostoli vera manent, si dicatur, per ea indicari solum mutuam translationem domini in corpora, quæ licet ex se referatur ad actus conjugales, sine his tamen esse potest; non enim necesse est, ut, qui dominium habet rei alicujus, ea etiam facto ulatur.

R. 2^o. Per hæc verba vult solum prohibere conjunctionem fornicariam et

adulteram, eo quod duo conjuges debeant esse in carne una, non multiplici; sic enim se explicat 1. Cor. 6. 16. *An nescitis, quoniam qui adheret meretrici, unum corpus efficitur? erunt enim duo in carne una; qui autem adheret Domino, unus spiritus est: fugite fornicationem*.

270. *Obj. III.* Si usus non sit de essentia matrimonii, ergo verum esset matrimonium, quod contraheretur cum pacto servandi castitatem perpetuam; atqui hoc est falsum; ergo. *Prob. min. 1^o.* Tale pactum obstat fini matrimonii, qui est generatio prolis. 2^o. Contrariatur substantiæ matrimonii, sicut conditio hæc apposita: *contraho tecum, si generationem prolis evites* c. *Si conditiones*. de Condit. apposit.

R. C. *seq. Maj.* quia tale pactum non repugnat substantiæ matrimonii. Deinde tale pactum licite et meritorie adjici potest post contractum matrimonium, cur non ante? Tertio quia licite et honeste intendi potest matrimonium ut ratum. arg. c. 16. h. t. Igitur N. *min.*

Ad prob. 1^{am}. R. D. *Finis* est generatio prolis ex supposito, quod conjuges uti velint matrimonio C. si uti nolint, ut ipsis liberum est N. Deinde finis non est de essentia rei.

Ad prob. 2^{am}. R. N. hoc pactum esse contra substantiam matrimonii. *Parit. D.* *Conditio* hæc: si generationem prolis evites, contrariatur substantiæ matrimonii, si generationi prolis contrarietur positive C. si solum negative N. Positive contrariabitur, si generatio prolis sit impedienda per e. g. poculum sterilitatis, procurationem abortus, etc. negative vero, et remote, si id solum intendatur, ut omittatur copula, quæ licite omitti potest, ut patet ex dictis, exemplo beatissimæ Virginis et S. Josephi.

271. *Inst. 1.* Ergo saltem de essentia matrimonii est, ut detur jus mutuam et potestas ad usum corporis alterius: sed hæc potestas stare non potest cum pacto ejusmodi; ergo.

R. D. *Maj.* Ut detur jus radicale et remotum sive in actu primo, item potestas radicalis et remota C. proxima et expedita N. Cum potestate vero radicali bene stat pactum ejusmodi; si enim post contractum jam matrimonium non repugnent sibi hi duo actus voluntatis, volo jus ad copulam, et nolo ipsam copulam; cur non etiam tale pactum cum potestate radicali?

272. *Inst. 2.* Illa potestas radicalis esset nugatoria et inutilis, nunquam enim posset exire in actum; ergo.

R. N. *Ant.* Licet enim non posset exire in actum stante voto vel pacto tali, præstaret tamen hæc: 1^o. ut neutra pars sine compartis injuria possit alteri dare usum sui corporis; 2^o ut si se cognoscerent, licet peccarent contra votum, copula tamen esset matrimonialis, non fornicaria, et proles nata non esset spuria. 3^o. Posset licite redigi in actum obtenta dispensatione.

273. *Obj. IV.* Juxta S. Aug. L. de bono Viduit. c. 9. *voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam nubere velle damnabile est*; ergo supponit usum matrimonii esse de hujus essentia. *Conf.* Juxta eundem L. 19. contra Faust. c. 2. *Matrimonium ex hoc appellatum est, quod non ob aliud femina debeat nubere, quam ut mater fiat*.

R. N. *Cons.* Loquitur enim de iis, quæ nubere volunt, ut sit ordinarie cum intentione, vel periculo consummandi matrimonium.

Ad Conf. R. S. Doctor hic de illis loquitur, quæ præcise nubunt propter carnales amplexus, docetque, quod hos non debeant appetere præcise propter concupiscentiam, sed generandam prolem, quod probat ex matrimonii nomine: sic vero non negat posse verum matrimonium esse sine illius consummatione; imo hoc satis affirmat relatus supra de matrimonio beatissimæ Virginis et S. Josephi.

ARTICULUS II.

AN ET SUB QUA RATIONE MATRIMONIUM SIT VERUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM?

274. Negant Huss, Lutherus, Calvinus eorumque sectatores moderni hæretici, volentes matrimonium esse solum contractum civilem et politicum. Affirmant contra Catholici omnes, hoc solo opinionum discrimine, quod ex his Doctores aliqui velint matrimonium jam a mundi exordio, in statu innocentie, quando Deus Adamum conjunxit Evæ, fuisse veri nominis sacramentum; in statu autem peccati reparatum fuisse ad veri sacramenti dignitatem dependenter a prævisis Christis meritis, sicque perstitisse usque ad Christum; proinde non fuisse ab hoc institutum primo in ratione sacramenti, sed solum in ea confirmatum. Ita teste Maldonato, multi ex antiquioribus, Petrus Soto, et præsertim ex recentioribus Launois Lib. de Reg. in Matrim. potestate p. 1. a. 2. c. 11. Dum e contra communis cæterorum omnium, qui post Concilia Constantiense, Florentinum et Tridentinum scripserunt, est sententia, matrimonium esse verum novæ Legis sacramentum, ab ipso Christo primo institutum.

275. *Dico I.* Matrimonium ante legem Evangelicam nunquam fuit veri nominis sacramentum.

Prob. Ex Conc. Trident. quod Sess. 7. can. 1. ita definit: *Si quis dixerit sacramenta novæ Legis (numerat autem inter ea matrimonium) non fuisse omnia a Jesu Christo instituta... anathema sit.* Et Sess. 24. can. 1. de matrimonio in specie: *Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum; anathema sit.* Ex quibus patet, Christum esse institutorem hujus sacramenti, sicut est aliorum: atqui aliorum fuit primus institutor, et non confirmator; ergo. Deinde latissime differunt confirmare et instituere, et nemo per institutionem intelligere solet confirmationem: atqui juxta Trid. cit. Christus est institutor hujus sacramenti; unde non satis apparet, quomodo Launoii sententia concordet cum Tridentino.

276. *Dices 1º.* Cum Launoio. Ideo matrimonium est sacramentum, quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia: atqui in omni statu, innocentie, legis naturæ, et scriptæ eam significavit; nam verba illa Gen. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis... propter hoc relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ,* fuisse ab Adamo prophetice

dicta de futura conjunctione Christi cum Ecclesia, testantur passim Patres, Tertull. L. de anima c. 11., S. Hieron. in cap. 5. ad Ephes., S. Aug. L. 9. de Gen. ad litteram c. 19. Et videtur Apostolus ipse testari ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est... in Christo et Ecclesia.*

R. D. *Maj.* Ideo est sacramentum strictè et proprie dictum, quia illam conjunctionem significat N. in sensu latiori et improprio ideo est sacramentum C. Quia præcise per respectum ad conjunctionem Christi cum Ecclesia est tantum signum speculativum, nec enim hanc conjunctionem efficit; verum autem sacramentum debet esse signum practicum, sive efficiens id, quod significat. Unde solum inferri potest, matrimonium ante legem Evangelicam fuisse sacramentum in sensu latiori, sumendo *sacramentum* pro signo nudo et speculativo rei sacræ. Et sic explicandi sunt Patres apud Launoium. Item c. *Gaudemus*, de Divort. in quo dicitur, *Sacramentum conjugii apud fideles et infideles existere;* apud infideles enim non nisi in sensu latiori sacramentum est, quatenus etiam horum matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia; licet minus perfecte, quam matrimonium Christianorum.

277. *Dices 2º.* Cum Deus Adamum et Evam conjungeret, illis benedixit, dicens: *Crescite et multiplicamini* Gen. 1. atqui benedictio illa fuit signum gratiæ pro Adamo et Eva, eorumque posteris; quid enim alias fuerit?

R. N. *min.* Nam etiam prius benedixerat volatilibus et piscibus. Igitur benedictio illa solum fuit ad conferendam fecunditatem.

278. *Dico II.* Matrimonium sub ratione contractus est in lege Evangelica veri nominis sacramentum. Est de fide; ita enim definivit concilium Tridentinum cit. concl. præced. contra ultimos Novatores hæreticos. Idem clare jam ante tradiderat Florentinum in Decreto §. *septimum*, dicens: *septimum sacramentum est matrimonium.*

Prob. Ad sacramentum novæ legis tria requiruntur et sufficiunt: 1º. ritus externus, vel signum sensibile; 2º. per se efficax sive productivum gratiæ; alii dicunt: signum practicum; 3º. institutum a Christo. Atqui tria illa habentur in matrimonio.

1º. Ritus externus, vel signum sensibile; conjunctio enim viri et mulieris, quæ fit per verba, vel signa consensum internum exprimentia; verbo: contractus ille externe expressus procul dubio sensibilis est.

2º. Productio gratiæ, juxta illud Apostoli ad Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam,...* ita et viri diligere debent uxores suas ut corpora sua... sicut et Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis ejus, Christi, de carne ejus, et de ossibus ejus... *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et Ecclesia.* Ex quo sic argumentor: Juxta Apostolum matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia; sed hæc conjunctio est per gratiam; ergo etiam conjunctio conjugalis, viri et mulieris talis esse debet; alioquin enim non posset significare illam conjunctionem Christi. Certe ita ex eo loco Apostoli arguebant Patres Tridentini in præmio Sess. 24.